



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Ad Libros V. Decretalium Gregorii IX.

Huth, Adam

Augustæ Vindelicorum, 1732

39. De Syndico

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63433)

causæ cognitio accedere debet per *c. 3. & L. 6. ff. h. t.* idem dicendum est de *renuntiatione*, qui quis se exonerat à tali officio. 3. Expirat *finis instantiâ* iudicii scil. latâ sententiâ definitiva. 4. *Morte constituentis* re adhuc integra *L. 26. in prin. ff. L. 15. C. mandati.* secus re non amplius integrâ. Arg. à contrario. Excipitur casus in *Clem. fin. h. t. §. Morte ipsius Procuratoris*, siue re integra sit, siue non sit. *L. 57. ff. de jud. L. 27. §. 3. ff. mandat.*

TITULUS XXXIX.

De Syndico.

Q 1. *Quid sit Syndicus?* Resp. Est Procurator alicujus Universitatis communi mandato constitutus, ad causas ejusdem & lites administrandas & persequendas. *c. un. h. t.* Confunduntur quidem subinde inter se Actor, Procurator, Syndicus ut constat ex *c. 7. de Procur. L. 1. §. 1. ff. quod cujusque Univ. nom.* Differt tamen Syndicus à Procureto *specificè sumpto*, quòd Procurator privato pro causis privatis constituatur; Syndicus autem à communitate. v. g. Civitate, Universitate studiorum, Ecclesia, Monasterio pro causis communibus & publicis, ut adeoque officium Syndici publicum sit, & necessarium. 2. Ab *Actore publico*, quòd hic ad unam tantum vel alteram vel etiam plures certas causas constituatur. 3. Ab *Curatore Universitatis*, quòd hic sit ad negotia illius

illius extrajudicialia. 4. à *Quaestore & Administratore Camera*, quòd isti præfint rei nummaria. 5. Ab *Oeconomo*, utpote qui est dispensator Ecclesiæ, cui res Ecclesiasticæ gubernandæ committuntur. 6. à *Procuratore Fiscii vel Fiscali*, quòd hic causas tantùm criminales, mulctas & pœnas Unitati debitas tractet, Syndicus etiam civiles.

Q. 2. *Quinam & quomodo constitui possint Syndici?* Resp. ad I. Omnis idoneus, etiam de ipso Corpore. Gloss. in *L. 4. §. potest ff. quod cujusque Univ. nom.* Ipse etiam Corporis superior v. g. Consul, Rector; non enim est repugnantia. Laicus etiam in causis spiritualibus. arg. *c. 1. de Procurat. in 6.* licet Laicus non possit esse Administrator Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus, ne exerceat munus propriè spirituale. De honestate tantùm & decentiâ est, ut Religiosus in causis sui Monasterii Syndicus non sit *c. un. h. t.*

Resp. ad 2. Ad constitutionem Syndici vocandi sunt omnes, qui habent jus suffragii. *Reg. Jur. 29. in 6.* Si tamen aliqui vocati emanent, possunt præsentem Syndicum constituere, modò duæ partes ex tribus adsint, & major præsentium pars consentiat. *L. 3. ff. quod cujusque Univ. nom.* Non est tamen necessarium, ut omnium constituentium Syndicum nomina in instrumento syndicatûs subscripta sint, nisi constitutus sit ad alienandum. *c. fin. de Procur.* sed sufficit, quòd instrumentum sigillo Universitatis muniatur. *Pirh. h. t. n. 2.*

Q. 3. Quod sit officium, & qua potestas Syndici?
Resp. ad 1. Officium est defendere & agere causas Communitatis, etiamsi inter ipsam & Superiorem v. g. Principem agitentur, quia Syndicum necessitas officii excusat.

Resp. ad 2. Potestas eadem ferè est, nisi aliud in mandato exprimatur, quæ Procuratoris *cum liberâ. L. 6. §. fin. ff. quod cujusque Univ. nom.* donare & debitum præsertim liquidum remittere non potest. Ex mutui etiam contractu inito à Syndico vel Administratore aliter teneri nequit civitas vel Ecclesia, quàm si pecuniam mutuò acceptam in suam utilitatem versam ostendatur. *L. 27. ff. de reb. cred.* Neque Syndicus tenetur cavere de rato, nisi probabiliter de ejus mandato dubitaretur. *cit. L. 6.* neque satisfacere de iudicatum solvi, quia est persona publica; cavere tamen debet de iudicio sisti; & dum præstat juramentum calumniæ (quod potest per *c. 6. de juram. calum.*) non in Universitatis, sed suam propriam animam jurat. *c. 3. eod.*

Q. 4. Qualiter finiatur officium Syndici? *Resp.* Iisdem fere modis, quibus officium Procuratoris; præterquam quòd non finiatur unitâ instantiâ. arg. *c. 14. de Procurat.* Nec morte constituentium, quia Communitas semper manere eadem intelligitur. *L. 7. §. 2. ff. quod cujusque Univ. nom.*

